

# LACVS COMENSIS

olim  
LARIVS.

**E**ST Larius lacus, siue Comanus, ab Oppido nuncupatus; à Septentrione in Austrum productus. 60. mill. pass. ambitu, quidam Larius denominatus à Græco vocabulo, quod est Laros, auis, quæ Latinè Fulica dicitur, nam iis maximè abundat; etiam piscis (vt scribit Plinius.) In eum multi, exigui tamen, torrentes inuadunt, ex circumiacentibus montibus, quorum cacumina castanearum arborum nemora habent: latera, vineæ, oleæque; radices verò syluæ, in quibus ferarum venationes frequentes: in margine autem Lacus, Castella confidunt, quorum ad Austrum, Lechum, vbi pons, quo Adua transmittitur, vtramque ripam iungens: vterius in ripa, quæ ad Orientem vergit, Castella in montibus. (Coronatur quippe montibus Lacus vndique præter Occidentalis ripa; à qua, & si non magno intervallo recedunt) Mandellum, Varena, Bolanum, &c. In meridionali autem ripa Larij, Comum clarum Oppidum à Gallis Orobiis, quidam Cenomanis conditum; Romana colonia à Diuo Iulio vltimo loco deducta, in quibus quingenti illustres fuere Græci, auctor est Strabo; ex quo Nouum Comum deinde appellatum est, in amœnissimo loco positum, adeò vt ad solas delicias excogitatum videatur: nam à fronte pulcherrimum Lacum, à tergo campestris culta, & omni genere fructuum feracissima habet: accedit etiam aër saluberrimus, iucundissimusque, &c. Hæc Dominicus Nijger in sua Geographia. Vide etiam Leandrum in sua Italia; Sed imprimis Pauli Iouij Larij Lacus libellum, ex quo hanc Tabulam nostro vsui excerpimus, in quo libello & hic Lacus & Oppidum, vnde nunc nomen habet, tam diligenter describuntur, vt non te legere, sed coràm videre videberis.

Comum.

## FORVM IVLII.

**F**ORI IULII nominis originem, inquit Leander, diuersè prodiderunt scriptores. Quidam id à Iulio Cæsare putant fluxisse. Blondus ab Vrbe Foroiulio denominari videtur asserere. Regionem etiam hanc Aquileiensem ab illius Metropoli vocatam monumenta litterarum produunt. Ad extremum, Patriam dictam constat Venetis; quod nomen in hunc vsque diem quoque manet. Situs Regionis est huiusmodi: Incipit à planitie mari apposita; moxque paulatim crescens primùm in colles, tandem in montes altissimos euehitur, qui propemodum vndique fines adeo claudunt, vt hæc vallata montium iugis planities tanquam muro, theatrum videatur; faucibus autem vnis pateat, per quas, vt porta, Sontij fluminis traiectu ab Taruisio aditur. Ceteros itaque terminos Alpes vbi que premunt; ideoque nisi per maritimos portus, aut conualles montium seu ipsos vertices, accessum præbet. Portus habet in ora quamplurimos. Sunt in hac nobiliss. Regione campi lati & irrigui, maximeque fertiles; abundat enim vitibus generosis succi; quarum vinum Plinius in vinorum censura primo loco celebrat, Pucinumque vocat à loco. Hæc ex Leandro. Apud ipsum plura legere licet; Vide etiam Blondum; & Ioannis Candidi historiam Aquilegiensem.

## ROMÆ TERRITORIUM.

**D**E Vrbe Roma quondam Orbis Imperatrice, eiusque territorio, quia hic locus amplam pro eius dignitate descriptionem non admittit; atque omninò de ea tacere, quam pauca dicere, præstare videretur; Auctores, qui eam scriptis suis celebrarunt, hic enumerare, sat visum fuit. Quorum ex vetustioribus sunt, Q. Fab. Piætor; Sex. Ruffus, & P. Victor. Ex recentiorib. Blondus eandem in sua Italia; Fabius Caluus Rauennas; Barth. Marlianus; Georg. Fabricius; Lucius Faunus; Andreas Palladius; Pyrrhus Ligorius; Lucius Maurus. Collegit & descripsit Iacobus Mazocchius eius antiqua epigrammata; & Vlysses Aldroandus eius statuas; Hubertus Goltzius non minori artificio quam diligentia, maximisque impensis eius Fastos ænèis Tabulis libri forma expressit.







